

Lex data Adamo, tanquam generalissima, & prima legum divinarum, indicta omni generi humano; illa fuit, cuius transgressione peccatum, & per peccatum mors, intraverunt in mundum, & pervaserunt in omnes homines: quia peccatum imputari, mors regnare cœpit in omnes homines. Lex data Mosi, appendix fuit legis illius generalissimæ, ad particularem usum Iudæorum. Christus autem moriens sustulit imputationem peccati, à violatâ primâ illâ lege in mundum inductam; & legem Mosi, quam Iudæus & ipse Christus observaverat, antiquavit. Quâ ratione verò, sublatâ causa tollitur effectus; eâdem Christus legi in genere obtemperans, & morte suâ transgressionem legis expians; tollens imputationem peccati quæ erat per transgressionem legis, sustulit regnum mortis quod erat per illam peccati imputationem. Ita ut à morte Christi tantum desierit regnum illud mortis, quod incæperat à peccato Adami.

CAPUT XII.

Duo tempora notari ab Apostolo. Unum, à lege. Alterum, antè legem. Sive quod idem est. Unum, ab Adamo. Alterum, antè Adamum.

PA T E T ex prædictis, Apostolum posuisse hoc loci duo tempora. Vnum, quo peccatum & mors primitus intraverunt in mundum, & pervaserunt in omnes homines: quo peccatum primitus imputari, mors regnare cœpit. Alterum, quo quidem peccatum & mors erant in mundo, sed non imputabantur, non regnabant: nullo jure pervaserant in omnes homines; non vivebant. Peccatum tunc temporis erat mortuum: mors erat mortua, & nullus erat sepulchri aculeus.

Tempus